

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
AFFECTIBUS PRURIGINOSIS,

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratosæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
P R Æ S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES.
SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Do. ino Patrono, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSVETIS,

ANNO MDCCXLIII. D. MAJI

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

AUCTOR

PAULUS CONRADUS TSCHOERTNER,

L U S A T U S.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO IN AUCURIAE MEDICAE

ADREAS RIGIUS

IN ACADEMIA REGIA SILENSI

PER ANNO 1783

DR. MED. MICHAELIS WILHELMI

DE

DE

DE

DE

DE

DE



DE

DE

*ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
EXPERIENTISSIMO, DOCTISSIMO*

DOMINO

**BERTHOLDO
SAENGER,**

POTENTISSIMI REGIS POLONIARVM ET
ELECTORIS SAXONIAE CONSILIARIO AVLICO, ATQVE
SERENISSIMAE REGINAE POLONIARVM ET ELECTRI-
CIS SAXONIAE ARCHIATRO, MEDICINAE ET PHI-
LOSOPHIAE DOCTORI CELEBERRIMO,

FAVTORI ATQVE PATRONO SVO

PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS

SACRAS ESSE VOLVIT

AVCTOR.

BERNARDUS
SAXENGER

POTENTISSIMI REGIS POLONIARUM ET
LITHUANIE ARCHIEPISCOPI ALEXANDRI
LITVENSIS REGNI PRINCIPIS ET
SAXONIAE ARCHIEPISCOPI MEDICINAE ET PHI-
LOSOPHIAE DOCTORI CEBERIMO

FACULTATIS
PRIMITIVAS HASCE ACADEMICAS

AVCTOR



PROOEMIUM.



Vanta sit rectae valetudinis praestantia, pauci antea cognoscunt, quam imminuta eadem & variis modis corrupta. Quis autem omnes, quae iucunditatem vitae auferunt, noxas enarrare valeat, cum non solum ea dicenda essent, quae actiones & functiones maioris momenti deprauant, aut plane corrumpunt; verum etiam, plane leuiuscula visa, efficiunt tamen, vt vel nobis ipsis molestiam creent, vel aliis nos ingratos & molestos reddant. Talia sunt, quae habitum corporis externum infestant, & vel venustatem eius natiuam auferunt, vt auruginosus ictericorum color, vel varii generis maculae, cutim defoedantes; naeui, verrucae, & similia, quae cum ipse adfectus in se spectare non possit, grauius tamen molesteque fert, quod aliorum oculis subiecta continuo patent. Quam non aestuant, & turbantur

tur mulierculae venustae, quando per cuticulam suam faciei, pellucens maculas, quas ephelidas vocare solemus, obseruant? quid non experiri malunt, quam illas perferre? certe, visae sunt, quae aquas quasdam cosmeticas, hydrargyro soluto imbutas, etiam de periculo admonitae, crebrius adhibuerunt, malueruntque edentulae fieri, quam integro dentium vallo maculis variegatam cuticulam tolerare. Quis non sanus miretur tantam impatientiam, & absurdum venustatis studium dicat, quod cum ipsa integritatis iactura amoliri tam leue malum sustinent? sed non sola sunt, quae in oculos incurrun vitia, quibus vita multis acerba redditur. Videas aliquos, qui tam molestum virus, quam primum leuiter infudant, de corpore suo exhalant, vt sibi ipsis, tanto magis autem aliis, quibuscum versari debent, plurimum creent molestiae. Hircum alii olent, aliorum sudor graue quid spirat, tanquam pili, pennaeue adurerentur. Rursusque sunt, quorum pedes immani foetore conclauia replent, ne dicam de aliis exhalationum modis, quibus offenduntur eorum nares, quibus propius accedunt. Haud sane contemnendum malum dicas, si pauperculis accidat, qui sibi non satis comparare possunt illa, quibus minui, velarique possit incommodum: ex quo fit, vt raro diutius in aedibus & conuictu tolerentur. Nescio autem, an non grauior sit illorum calamitas, qui pruriginosis adfectibus, vel in toto corpore, vel aliquibus eius partibus diuexantur, & nec diebus, nec noctibus tranquilli, & a scalpendi, scabendique necessari-

cessitate immunes sunt. Non enim solum, decori rationem habere, illis non licet, verum etiam, quod nocturna requie destituuntur, vires corporis, quin & subinde animi valde atteruntur, vt omnino miserum ipforum fors videatur, & digna, cui humanitas medica curas suas impendat, si qua ratione possit fieri, vt vel in totum profligetur, vel tantum emendetur, aut tolerabilius reddatur. Tantoque magis puto curam hanc esse suscipiendam, cum saepe bene meritorum senum, corpora adfligat, ipsisque longaeuitatis beneficium, quod per se optabile videtur acerbum reddat, vt mortem placidam, tantis molestiis praeoptent. Haec me causa impulit, vt argumento huic, pro inaugurali specimine expendendo, ingenii vires intenderim. Superest, vt beneuolum lectorem, quo decet officio exorem, velit haec cogitata mea, aequo iudicio perpendere, & si vires non permiserint, vt dignitatem eius aequarem, bene tamen merendi studium, aequi bonique consulat.

§. I.



Pruritus, qui morbosis adfectionibus accensetur, & a quo liberari cupientes, ad medicinae opem implorandam confugiunt, est molesta quaedam sensatio, quae hominem ad scalpendum scabendumque adfectum locum impellit: atque adeo symptoma aliquod facultatis eius, quae sensum tactus in nobis praestat. Quo ipso sensu in hac dissertatione me vsurum hoc vocabulo & synonymis eius, prurigine, pruri-

pruriginosis adfectibus, profiteor: speroque me facilem veniam ab æquo lectore consequuturum, si minus fuero immoratus notionibus illis, quas non medici scriptores, satis frequenter adhibere notantur, insanam aliquam libidinem desideriiis suis satisfaciendi designaturi: vt, quando libidinosam feminam prurire dicunt, auresque blanditiis inhiantes, prurientes vocant; aut esurientibus dentes prurientes tribuunt. Quin adeo prurientes versus, pro libidinem excitantibus, poetam dixisse inuenio.

§. II.

Pruritus autem vel per se existit, & sine alia morbosa adfectione notabili, vnum pluraue membra corporis, aut vniuersam eius superficiem diuexat: vel coniunctus est, cum porrigine, scabie, impetigine, lepra, multisque aliis externae cutis adfectibus. Ex quo factum videtur, vt medici, pruritus strictius designaturi, requirant, vt sit sine asperitate & exulceratione: quo ipso ab exanthematibus, quae papulas, pustulas, escharas, squamulas, furfures, & quae similia sunt, producant, abstrahere ideam pruritus solitarii, sibi que relictis, noluisse videntur. Et sane pruriginem simplicem, absque vel papulis, vel pustulis, & vlceribus dari, experientia, vt infra videbimus, docet: sed raro diutius infidet, quin in harum transeat aliquod; nisi forte sit a solis externam superficiem obsidentibus causis, quae ad interiora non facile penetrare valent. De quo pluribus mox differemus, vbi causae indagandae venient.

§. III.

Dari autem pruritus totius superficiem absque manifesta exulceratione aliqua concurrente, docent obseruato-

uato-

uatores. Sic talem commemorat PETR. FORESTUS *abs. chirurg. V. obs. 9.* & PETR. BORELLUS *cent. IV. obs. 36.* in lanifice visco, quem sudores cum immani pruritu per sex menses lecto adfixerunt. De nobile quodam toto corpore admodum pruriente in *Ephemerid. A. N. C. Dec. II. Ann. 1. obs. 68,* relatum legimus. Inque *iisdem Dec. 1. Ann. IV. obs. LI.* adducitur femina, cui maculae scorbuticae post rheumaticos dolores eruperunt, insigni prurigine molestissimae. Cui compar exemplum exstat *ibidem obs. LVI.* de femina, mensium obstructione laborante, cui maculae, quas hepaticas vocant, erupere: post quas tantus dorsi pruritus sequebatur, ut unguibus suis temperare non posset, quin continuo scalptu, cutem, ad largum usque sanguinis profluuium, lacera- ret, donec oborto dolore maiore, minor ille pruriginosus ad tempus conticesceret. In his itaque binis vltimis maculae quidem commemorantur, sed nullae vel papulae, vel pustulae: exulcerationem autem fecerunt ungues, fortius & diutius admoti. Retulit etiam LENTILIUS *Iatrocnem. p. 75.* exemplum viri, cui a vinis lithargyrisatis acres colicae in patesin desinentes accide- rant, & totius corporis immanis pruritus superuenit.

§. IV.

Neque raro notati sunt particulares, certisque membris tantum inhaerentes, eaque diuexantes pruritus. A manibus incipiemus, quas aliquanto frequentius obsi- dere solet. Sic *Eph. N. C. cent. X. append. p. 453.* bina exempla leguntur hominum, quorum alter quum gra- mina matutino rore madida, secuisset & collegisset, post intolerabilem pruritum incidit in inflammatorium, atro-

B. ruben-

rubentem ardorem, vt gangraena vix auerti posset : alter, quum femina nasturtii rore madida eodem tempore legisset, simile malum incurrit. Huc referendum videtur, quod S. PAULI *in digress. de febr. mal. §. 63.* in hunc modum scribit : aliquoties, pulsu in malignis febribus explorato, mea mihi manus de improviso ita prurireoccoepit, ceu vrtica romana, vel etiam marina fuissent perfrictae : quas ego, domum reuersus vbi lauisssem, ecce statim insigniter & incredibiliter digiti intumuerunt, citra vllam pulsus mutationem aut noxam aliam, quae a me aduerti potuit, spatio vnus, alteriusue horae quadrantis, iterum euanescente tumore.

§. V.

De pruritu oculos infestante, & per quinquenni-um cum insigni molestia & rubore detinente, cuius tandem causa deprehensi sunt vermiculi minutuli, & vix sensibiles, auctorem habemus PECHLINUM *Lib II. obs. XXXV.* Visum autem hunc adfectum saepius fuisse ex eo cognoscimus, quod diu ante natum hunc auctorem, pruritus oculorum commemoratus legitur: quanquam in causa deprehendenda & indicanda non aequae fuerunt perspicaces auctores. Faciei pruritus magnum cum intumescencia notabili, incurrisse honestum virum noui, quum barbam in pago quodam radendam tonsori rustico & satis sordido permisisset. Postea exulcerabatur ipsi omnis facies, uaris scedis, & profunde saniem prominentibus, vt uix anni spatio, & adhibitis multis medicamentis, malum superari, & penitus profligari posset. Atque hoc toto tempore nihil molestius erat pruritu, qui non minus a calore ambiente, quam a frigore, si paulo intensiori gradu essent exacerbabatur.

§. VI.

Longe tamen frequentiores sunt adfectus exanthematici pruriginosi, quam solus & simplex pruritus: ut & initio iam professi sumus, quod facile in tale schema abeat, nisi prorsus in acutum malum inflammatorium transit. Quare progredimur ad exponendum de illis malis, ubi papulæ uariiue generis pustulæ valde prurientes, exulcerationem in superficie formant, quæ vel crustas humiditate suffusas, purulentum aut tantum ichorosum quid plorantes, sistunt, vel in squamas & furfures resoluuntur, & aut sponte taciteque defluunt, aut unguibus deglubuntur, & abraduntur. Atque huius generis variae obseruantur species, nominibus suis distinctæ. Videas autem auctores nostros in iis denotandis non satis inter se conuenire. FERNELIUS *patholog. lib. VII. cap. 5.* nomen graecum ξυσμός, quod pruriginosum & scalpendi desiderium adferentem denotat, genus facit, sub se omnes scabiei species complexum. Huncque sequuti videntur, qui HIPPOCRATIS *aphorism. XXXI. Sect. III.* quo inter senum morbos recensentur ξυσμοὶ τῆς σώματος ὅλου, *pruritus totius corporis*, ad scabiem designandam traxerunt. Sed & præter scabiem huc referri debet herpes, a quo cutis exasperatur cum rubore ac duritie quadam: in quo non raro exiguæ adparent pustulæ, a quibus herpes miliaris vocatur: quod vtrumque genus valde pruriginosum esse testatur B. RIVINUS *notit. morbor. compend. §. 71.* Quin etiam ad hoc genus pertinent aliqua, quæ cum horrore febrili, erysipelatis instar, primum ingruunt, deinde in scabiosum genus transeunt: obseruante B. CHR. JOAN. LANGIO *oper. P. II. pag. 270.*

§. VII.

Atque hæc quidem exanthemata pustulosa satis frequentia sunt, & omnem aetatem adfligunt. Dantur autem etiam papulae quaedam, quam maxime pruriginosæ, sed fugacis admodum indolis, quippe modo per ambitum exstantes modo disparentes, semper cum molestissimo pruritu redituræ, quam primum corpus valde incalescit. Tale exemplum accepi a medico, qui in suo corpore expertus est. Nam quum iuuenis in febre tertianam incidisset, quæ ipsum, vere iam adulto, vespertinis horis corripuerat, & mox ab initio tribus horis postponebat; non poterat sibi persuadere initio illo, se febre tertiana correptum esse, sed causam reiiciebat in nimias lucubrationes, quibus adpetitum prostrauisset, unde sibi antea frequentes hemicranias exacerbasset. Legerat autem adpetitui recreando nihil aequè conferre, quam vinum medicatum, ex agrimonia & absinthio. Tale igitur sibi parabat, idque satis saturatum, & copiose bibebat. Ab hoc per dies aliquot continuato, sub finem paroxysmi incredibili corripiebatur pruritu totius corporis, quod papulae tales obsidebant, quales urtica solet producere. Impatientia tanti cruciatus accersebatur balneator, qui scarificatione sanguinem educeret. Hoc factò, paroxysmus, qui proxime sequebatur, nec papulas urticatas, nec pruritum adferebat. Quum autem rediret ad vinum medicatum, eadem reuertebantur, nullo utique remedio, nisi iterata scarificatione auertenda. Alium noui, qui uino non adsuetus eodemque per continuos dies, sed recens sulphurato, quod postea cognitum est, vsus, sanguinis magnam ebullitionem, vagosque

gosque febriles motus, per aliquot dies patiebatur, purpuram tandem vrticatam, per totum corporis habitum expellentes.

§. VIII.

Omnes quidem aetatem infestant pruriginosi affectus, vel sine pustulis vlceraſcentibus, vel iisdem coniuncti: verum haec notabilis differentia fere intercedit, vt infantilem, & puerilem plus corripiant humidiora exanthemata, vt plurimum minorem pruritus adferentia, praesertim vbi cura munditiei sufficiens adhibetur, ne bestiolae depascentes innidulentur, suaque pullitiae molestiam augeant. Quo vero magis homines aut sicciora corpora nacti sunt, aut per aetatem exsucca, languidiores & vieti redduntur: hoc magis subiacent exanthematibus siccioribus, sed ferociori pruritu molestiam maiorem adferentibus. Hinc pridem HIPPOCRATES *l. c.* inter senum incommoda recensuit pruritus totius corporis. Quibus verbis id innui videtur, quod tota corporum senilium superficies, sustinendis affectibus pruriginosis subiecta sit, quanquam non semper omnes eius partes simul ea diuexantur molestia. Praecipue autem id experiuntur senes, qui fonticulos, aut vlcera antiqua in corpore suo gerunt, aut qui fracturam vel dislocationem passi, diutius deligationem strictiorem tolerare debent: qui longe grauius, quam iuniores, sub eodem statu pruriginis diuexantur. Non paucis, purpurae instar chronicae efflorescit, sed temporis progressu in squamas siccas furfuraceas resoluitur: aliis herpetis instar miliaris insidet & occupat partes genitales, & ani ambitum: cui malo serpiginis aut porriginis haemorrhoidalis nomen imponi solet.

§. IX.

Si ad causalem adfectuum horum deductionem venimus, alias quidem in corpore delitescentes, atque enatas inuenimus, alias autem exterius adlatas, & in corpus agentes: In quibusdam utrorumque mutuuum concursum adesse, & malum fouere, liquido cognoscimus. Veteres multum tribuebant humori pituitoso, corrupto, & acri reddito, qui, cum crassus sit, & in intima carne moretur, difficillime moueri, corrigi, aut expelli potest. Recentiores pariter humores acres, corruptos, falsos, ac sulphureos accusant, ac speciatim corruptionem acido-falsae indolis putant; hinc lentam, atque coagulationem lymphae, quae si ad poros cutaneos delata, ibi stagnet, exitu prohibeatur, fibrillas cutaneas sensibiles irriter, & copia aceruata, ipsaque sua acrimonia cuticulam attollat, proque maiori, vel minori sua acrimonia & copia, diuersi generis exulcerationes faciat, nominibus propterea iam olim distinctas. Nolo multis repetere, omnem illam antiquam deductionem, & quibus in casibus corruptionem a melancholia admixta, aut a cholera, vel ipso denique sanguine corrupto, accersuerint. Scilicet, videbant diuersitatem vlcerum pruriginosorum, & cuius, notabiliter diuerso, nomen diuersum nacti, specialem aetiologiam ex humore speciali, aut plurium inter se concursu, aut mixtione vitiosa, inuenire conabantur.

§. X.

Mansit haec pathologia per omnem scholam medicam fere inconcussa, ipsique superstruebantur rationes succurrendi his molestiis, iisdemque medendi, donec

Jo.

IO. BAPT. HELMONTIUS, re in proprio corpore accuratius perspecta, multum in hac pathologia sollicitavit, aliisque insequutis occasionem dedit, hanc rem intimius perscrutandi, libello exiguo, quem, *Scabiem & ulcera scbolarum* inscripsit. Praecipue illo ostendere allaborat, quod vniuersae humorum massae, tribui caussa non bene possit, cum sit adfectus cutaneus, non autem vniuerso corpori inhæresat: quod fieri tamen deberet, si qualiscunque cacochymia per vniuersam humorum massam dominaretur. Praecipue vrget, quod sibi ipsi, multisque aliis acciderit, ut antea plane sanus & incolumis, solo contactu scabiem sibi contraxerit, eaque post longos, multosque conatus, humores depurandi, imminuendi per venae sectiones largas, expurgandi per medicinas varias, semper tamen pertinaciter inhaeserit, nec emendari vlla arte potuerit. Atque hinc occasionem cepisse videntur, qui postea pathologiam animatam in scholas medicas introduxerunt, atque si non omne genus exanthematum prurientium, plurima tamen eorum genera, ad animalcula viua, vel sub cute haerentia, vel exterius delitescencia, oculis vix obseruata retulerunt. Hanc pathologiam animatam ex recentissimis medicis, Cel. D.D. RIVINUS, diligentius ceteris explicauit, singulari dissertatione, quam *de pruritu exanthematum ab acaris insigniuit*.

§. XI.

Et sane negari non potest, quod multa sint, quae verosimilem hanc pathologiam reddunt, eo saltem gradu, vt si non omnes huiusmodi adfectus tamen aliquos certe, huc reuocare possimus. Nam quotidie videmus,
quan-

quantam in hominibus munditiei, siue ob negligentiam minus studiosis, siue ob paupertatem satis studere non valentibus, molestiam producant varia pediculorum genera, quae continuam scabendi, scalpendique necessitatem ipsis imponunt; qua fere efficitur, ut ulcerata tandem cute, & sanie effluente, copiosius alimentum nacta, incredibilem in modum breui tempore augetur, malumque deterius & contumacius reddant. Accedit etiam, quod sub ipsam cutem ingressa animalcula, indeque cum pure, ex vlcusculis emisso extracta, identidem a pluribus visa, & delineata fuerunt. Et sane multum comprobat hanc pathologiam, non solum contagii celeritas, & magna vis; verum etiam ipsa curatio. Nihil enim efficacius in talibus invenitur, istis medicinis & methodis quibus animalcula talia enecari possunt. Vnde anthelmintica pleraque, praecipue mercurialia, & sulphur, ut & vegetabilia nonnulla, quae vermium pullitiei efficaciter opponuntur, ut scordium, enula, & similia, tam interno, quam externo usu, praecipuum in curandis talibus fructum, adferre obseruantur.

§. XII.

At vero, quo minus omnem pruritus ab his deducamus, & ut humorum vitiiis, partiumque ipsarum, ad emissionem exhalaturarum sordium non recte dispositarum, culpae multum tribuamus, variae nobis sunt causae, de quibus ordine exponemus. Et primo quidem vix dubito, quin vir ille, cuius §. VII. meminimus, quod ab infuso vinoso, largius in febre hausto, prurientissima exanthemata acceperit, quae non nisi sub calore febrili ad cutem propellebantur, & scarificatione instituta

tura

tuta cessabant, exemplo suo id satis confirmet. Nam cum nec antea, neque post omissum usum vini, & ultimam scarificationem pruriginem sentiret, quanquam febre in nonam hebdomadem protracta: sane necessarium est aliquid fuisse humoribus illatum, quod sub ista humorum exagitatione, quam febris adfert, ad superficiem compulsus fuit, ibique substitit, cum non satis cito & expedite per poros exitum inueniret. Quin etiam de humorum acrimonia salina & irritante ad pruritus inducendum, augendumque efficaciter potente, testimonium exhibet experientia illorum, qui ulceribus obsessi victu salito muriatico utuntur. Vix enim quisquam talibus diu usus fuerit, quin ambitum ulceris, aut fonticuli, magis solito prurientem experiatur. Requiritur equidem posse video, ut indicem modum verosimilem, quo acrimonia qualiscunque stimulans ita agat, ut pruritus sensus eueniat: atque vellem sane, si quid certum haberem, eloqui & indicare modum, sed fateor quod ipsimet mihi, meoque desiderio in hoc non satisfaciam. Istud certum est, quod cutis nostrae superficiei, quam cuticula obtegit, superextensum sit textum aliquod nerueum, quod tactus organon constituit. Id, si cuticula, vel digitis, vel molli excutia agitetur, hinc papillis nerveis titillationis quidam sensus imprimitur, parum a pruritu diuersus. Quid itaque obstat, quo minus existimemus, inter exhalantes & per continuam transpirationem ad exitum determinatas halituositates, aliquas particulas versari posse, quae motui expulso minus promte obsequuntur, sed obhaerescunt, & papillis sensoriis nerveis sensum istum, irritationemque imprimunt.

C

§. XIII.

§. XIII.

Modus hic, ni fallor, etiam declaratur vulgato experimento, quo nonnulli solent tenuissimam scobem amianthi, aut glaciei Mariae cuti infricare, vt sensum torpentem excitent: plebeiique homines aliquando per iocum lectos tali puluere conspergunt, vnde immanis pruritus excitari solet, quem oleo deinceps illito, sedare norunt. Cumque hic stimuli efficacia manifeste eluceat; credo, non male etiam particulas qualescunque irritatiuas, in ipso pororum exitu obhaerentes, suspicari nos posse. Estque hoc singulare phaenomenon, quod pruritus molestia laborantes, vt plurimum exacerbationis tempus id maxime extimescant, quoties corpus vel labore & motu incalescit, vel noctu stragulis & lectis probe fouetur, & sudor erumpere incipit: siue tunc demum exhalaturae humiditates cum acrimoniae irritante adpelluntur, siue antea ibi praesens & quiescens, nouo impulsu ad motum excitatur, illaque agitatione, nerueis papillis, inter ipsos poros collocatis, impressionem aliquam adferat.

§. XIII.

Qui organicam cutis structuram, maiori studio scrutati sunt, quos inter MALPIGHIVS praecipue eminent, docent nos, nervos sensorios in cutis proprie dictae superficie, tanquam villos tenuissimos, aut papillulas terminari: Illi autem, corpus aliquod reticulare superductum esse, per cuius tenuissima foramina adsurgunt seseque erigunt neruorum cutis sensoriorum extrema. Sed & per eadem foraminula traicere vasorum cutis tenuissimas productiones, quas poros dicimus, quorum infinitus sane est numerus, omnes autem extremo suo margine

gine reflexi, & cum proximi cuiusque pori margine coaliti, cuticulam constituunt. Quo considerato haud difficulter intelligimus, quomodo a nobis supposita particularum exhalantium, sed in exitu restitantium mora, & per subsequentes impulsus, sensationem pruritus facere possit; quodque tanto magis is sensus consequi debeat, si stimulante, acri, forte salina qualitate praedita sint, quae erosio tenuissimis membranis pororum, nervos deinde ipsos contingit. Quod fieri sane verosimile est in illis pustularibus adfectibus, quos serpiginosorum aut porriginosorum nominibus usurpamus; tantoque magis in exulcerationibus maioribus atque profundioribus, quibus tandem omnino cutis anaesthesia iungi solet: quod de illis intelligendum est, quae ab exiguo gradu progressa ad elephantiasin & lepram deueniunt, utpote quibus pruritus non amplius molestus est, sed cutis omnino vitata & corrupta rimas agit, & caro putrida elabens documento est, quod plus quam illud spacium, quod pruriginis sedem & subiectum praebet, corruptum & vitiatum sit.

§. XV.

Quod §. XII. dicebamus, multum esse tribuendum partium istarum, quae sordium & superfluitatum exhalationi dicatae sunt, pravae dispositioni, partim iam ex adductis intelligitur. Sed aliquid addendum est propter HIPPOCRATEM, qui senibus pruriginosos adfectus seorsim tribuit: in quo consentientes tantum non omnes medicinae practicae scriptores vsque adeo inuenimus, ut plerique rotunde negent pruriginem curari posse in senibus. Quaerenda igitur causa quaedam est, unde eue-

niat illa foedi & molesti mali pertinacia, quae multis optime de familia & republica meritis patribus inhaerescit, vitamque amaram & iniucundam ipsis reddit. Quam non aliam invenio, nisi illam, quae senes contemplantibus, & in quo a se ipsis, dum iuvenes & viri vegeti erant, discrepent considerantibus, illico in oculos incurrit. Nam quum florente aetate & plena valetudine utentes, etiam illi, qui mediocri gaudent habitu, inter cutem & subjectos musculos multam pinguedinem habeant, quae cellulosa spacia membranarum replet & suffarci, atque adeo ipsam cutim extensam & ampliorem reddit: videmus illam senio ingruente, sensim deficientem & consumtam. Ex quo fit ut infinita spaciola antea extensa nunc collabantur, & minus spacium occupent.

§. XVI.

Hoc ita accidere senibus, non alia demonstratione opus est, quam sensuali, ut oculis nostris probe consideremus rugas seniles, quae, ut quisque magis in florente ac vigente aetate plenus & suffarctus fuit, copiosiores ac maiores senectuti ingruunt, & non solum faciem deturpant, verum etiam in reliquo corpore cognoscuntur. Certissime autem denotant hae rugae, hincque habitus collapsus, quod pinguedinis magna sit facta imminutio. Ex quo consequitur, ipsum sanguinem materia illa, quae supplendae pinguedini apta est destitui, loculos autem & cellulas, quas pinguedo antea distendebat, nunc vacuas collabi, & contrahi. Quod primum quidem attinet, scilicet defectum pinguis materiae, simul consequitur deficere materiam quae viis lubricandis

dis

dis aequae ac acrimoniis inuoluendis & obtundendis ex aequo inseruit. Alterum quod scilicet, tot expansa olim, & repleta spaciola vacua maneant, corrugentur, ac complicantur, necessario infert, aliquot tenuissimorum vasorum myriadas, directionem suam mutare, sicque difficiliorem humoribus progressum inducere. Nam, si intuemur canalem flexilem, per quem humor aliquis promte, facileque impellebatur; eundemque contortum atque collapsum intuemur; facile cognoscimus, quanto facilius humores impellantur prioribus conditionibus, quam posterioribus. Ex quo adparet, in genere quidem sanguinis circulum in senibus fieri impeditiorem, tardiolemque: hinc calorem sanguinis vitalem decrescere, secretiones imminui, excretiones multum detrimen- ti capere. Quin imo multa spacia, multosque canales, qui peruii in florentiori aetate fuerant, omnino aboleri, tollique, cognoscunt anatomicis exercitationibus, praecipue iniectionibus, vasorumque repletionibus occupati, quorum conatus spei & voto semper magis respondent, in iunioribus subiectis, quam senioribus: in decrepitis autem omnium minime succedit. Omitto plura, huic veritati confirmandae idonea, & istud tantum dico, quod totius humani generis consensu, senes sint utique frigidiores, atque difficilius incalescant: vltimae autem senectutis hominum cutis, prorsus dura & scabra, quasi corticosa reddatur, per quam difficillime aliquid sudoris erumpere potest.

§. XVII.

Quid autem mirum si in subiectis, ita constitutis, aceruantur impuritates, & potissimum in superficie, vbi

exhalando dissipari debebant, subsistunt detinentur, & pro sua qualitate ingenio irritationem, sensumque mole-
stum continuo inferre pergunt, saepeque erosa superfi-
cie vias sibi parant, aut scalpentium & scabentium un-
guium violentia accipiant. Cumque naturam mutare,
& iuventutem senibus restituere in plerisque impossibile
sit; in paucis, & nondum ad summum prouectis, ex par-
te tantum aliqua impetrari possit: Cognoscitur sane,
quanti res sit moliminis, si quis valde senem percurare,
& liberare velit, a molestia pruriginosa. In ceteris et-
iam, aetate non adeo prouectis, non expeditissimum sem-
per est causas tollere, hisque sublatis, perfectam & sta-
bilem curationem praestare. Quod si vero accidat, ut
causis non emendatis, aut sublatis, per sola externa pu-
gnetur, & materia peccans ad interiora repellatur, diffi-
cillimi & funesti non raro morbi, cito pede subsequun-
tur. Sic ab HIPPOCRATE ad memoriam nostram, trans-
missus est vir Atheniensis, qui se curaturus a prurigine
ad balnea naturalia, quae in insula Melo sunt, contule-
rat, & ab horum usu hydropicus factus fuerat. Cete-
rum pleni sunt medicorum libri monitis, & exemplis, ne
temere per sola externa in his casibus pugnemus: uisi
enim sunt quibus inde rheumatismi & arthritica pathe-
mata, alii, quibus catarrhus suffocatiuus, aut tussis in
phthisin abiens successit. Pueris retropulsa talia, epile-
psias cito adferunt. Quam multa vitia abdominis vi-
sceribus illata fuerint scabie retropulsa, legi potest *Act.
phys. med. A. N. C. Vol. I. obs. 231.*

§. XVIII.

Atque ut initium ducamus, ab illo pruritu, qui ma-
num subinde valde excruciat, postquam acri aliquo fuere
infe-

infectae, vt rore noxio plantis insidente, cantharidum tractatione; si illico obseruetur, iuuerit manus quanto- cyus lauare, furfuribusque, vtpote quae probe deter- gunt, defricare. Saponem hoc tempore non proba- uerim, cum ipse non expers acrimoniae, si accedat ad acre, maius videatur incommodum allaturus. Si serius auxilium adfertur, iamque inflammatio membrum occu- pat, adhiberi potest cataplasma, ex foliis sambuci inci- sis, vitellis oui, nitro & furfuribus paratum, quod duo- bus istis viris quos §. IV. adduxi, saluti fuisse legimus. In quo quidem bene coniunguntur, resoluens ex sambu- co, fibras relaxans vitellus oui, nitrum refrigerans, & furfures detergentes. Vbi spicula tenuia, rigida, vt pul- vis lapidis specularis, vel amianthi, poris infrieta, pru- riginem faciunt; experientia docuit, nihil aequae pro- desse ac oleum, siue lini, siue aliud quodcunque expres- sum.

§. XVIII.

Quod si deprehendatur, animalcula viua, pruri- ginis caussam adferre; illa quidem remouenda esse certum est, vt caussa sublata, tollatur effectus. Plurimum hic situm est in eo, vt lintea, lecti, vestes mudentur, cre- broque mutantur, deinde vt crinibus & capillis inhaeren- tia auferantur. In tenera infantum aetate, pediculos & lendes securissime necat puluis sem. petroselini inspersus. Minutum illud genus pediculorum latorum, quod fordi- dorum hominum pubi, quin saepe superciliis & barbae inhaerescit, & inter peregrinandum, aliquando etiam in munditiei studiosiores migrat, nihil est efficacius ad e- necandum, quam si locum, crebro laues lixiuio, cui ni-
coti-

cotiana incocta est, aut si vinum adustum nicotianae in fundas, illaque tinctura locum laues. Atque hoc satis expeditum est, si in superficie haereant irritantia animalcula. Eadem autem poros subingressa, & delitescencia expugnare, maioris utique est moliminis. Hic vero efficacissima duo remedia per experientiam comprobata sunt, scilicet mercurialia & sulphurata, quae utraque omnibus ex vegetabili regno desumptis palmam utique praeripiunt. Nam cum usu continuato opus sit, fere accidit, ut talia vegetabilia, ob resinofum aut terreum principium suum, in poris minimis restitent, & malum peius reddant.

§. XX.

Inter mercurialia merito tutissimis, saltem mitissimis accensetur mercurius dulcificatus: habet autem id magnum incommodum, quod continuato usu salivam concitet: Cum autem, tantum non semper continuatione hic opus sit, salivationis autem euentum plerique reformident; atque reuera imprudens esset illam temere mouere: tutius certe ac iucundius adhibetur aethiops mineralis, utpote simul mercuriali virtute, simul vero etiam sulphuris viribus, operationem suam, insensibiliter, efficaciter tamen praestat, si adiuuetur infusi cuiusdam diluentis, & sanguinem depurantis subsidio. Enimvero fatendum est, quod aethiopem ex officinis saepe accipiamus plane noxium, & securo, continuandoque vsui ineptum, scilicet ubi methodo HARRISIANA, sine ignis subsidio paratus, & festinans pharmacopoeus non omnes globulos, cum sulphure sufficienter subegit; mercurii vestigium in cochleari, quo propinatus pulvis fuit
rema-

remanet: quod non solum vrentibus metum incutit, verum etiam reuera efficit, vt saluatio continuato vsu, subsequatur: quod multis in hac vrbe accidisse, probe cognitum est. Id vero non euenit ab hac medicina, si ad duas vel tres partes mercurii, vnam sulphuris adsumas, eique in vase plano, figulino, super lenem ignem liquato mercurium admisceas, diligenter terendo & subigendo, donec omnia inter se accurate vnita conspicias. Quo facto, massa haec refrigerata, diligenter terenda est, & per linteum tenue traiciendus tenuissimus puluis. Sic paratum, nouimus per integrum mensem, saepe bis per diem ad Scrupul. j. vel vltra exhibitum, neque rudimentum saluationis attulisse, sed placidissime ac securissime per solam diapnoen insensibilem optatissimos effectus edidisse.

§. XXI.

Si sulphurata arrident, vtilissimi sunt sic dicti flores sulphuris, quos non magna dosi offerre opus est, si effectum diapnoicum desideras, & curationem longius continuare cupis. Certo scio duo vel tria grana, bis per diem exhibita, scopo sufficere. Possunt intermisceri alicui terreo, & forte nihil commodius erit cornu cerui vsto praeparato, quod antiquitas omnis ob fructum anthelminticum celebrauit. Sed & alia, lubricandi obtunden-
dique scopo, vt & antispasmodico & anodyno licebit adiungere pro indiuiduali exigentia. Eodem sulphureo principio iuuat antimonium crudum puluerifatum & satis diu continuatum. Quod si quis in forma puluerulenta exhibere nolit, potest, adiectis necessariis in morsulos vel tabellas redigere. Sed & hoc remedium adhibituro,

D opus

opus est adiicere decoctum vel infusum aliquod ianguinem depurans, & efficere ne quid diapnoës successui impedimento sit. In grauiori casu, vbi de verminosa pulititiae non adeo certi sumus, sed magis humorum vitia, spissitudo, eisque iuncta impuritas, forte venerea, aut venereo - scorbutica deprehenditur, si talium mitiorum vsus tarde satisfaciat, veniendum est ad generosiora illa antimoniatata, praesertim ea quae dicuntur sulphura aurata, quorum varia dantur genera, viribus discrepantia, & nominibus *panaceae Glauberianae*, *Conerdingianae*, *pulueris Carthusianorum* siue *A kermes mineralis*, passim celebria. De quibus singulis illud est notandum, vt exploratis viribus cuiusuis eorum, maneamus in dosi, quae vomitum non moueat, eamque post aliquot dies sensim augeamus. Sic licebit multum promouere.

§. XXII.

Sulphura haec, cum mercurio dulci iunctim exhibere, ad difficillimos adfectus cutaneos cum magna humorum impuritate iunctos, maiores nostri pridem nouerunt, & in vsum traxerunt, quod videre licet, in obseruationibus IO. SCULTETI *armament. eius chirurg.* subiectis, quarum vltima tradit curationem leprae, in ciue Vlmensi, his iunctis remediis peractam. Sed nouam commendationem accepit per *Acta medicor. Edimburgens.* quorum partem latino sermone versam, nobis exhibuit Cel. Medicus Hannoueranus D. D. WERLHOF. Neque frustra additur tale sulphur, aethiopi minerali, cuique efficaciam notabiliter exaltat, vt conspicuus inde effectus obseruari possit. Atque hoc pacto impetrare licet,
qui-

quicquid Bataui a suo aethiope antimoniato expectant: forte etiam securius, maiorique fiducia, quam si mercurium viuum, taediosa & diuturna tritura subigere, & cum antimonio miscere conaremur. Ceterum tincturarum antimonii laudem minime cupio minuere. Id autem certo scio, quod, quaecunque illa sit, & quocunque nomine veniat, de antimonio parum uel nihil participet, si ultra mensem adseruata fuit. Sed & talis non omnino inutilis est, vbicunque tenaces, glutinosique humores incidi, & ad fluxilitatem reduci debent. Quod si volumus, non minus quam si infuso aliquo vel decocto commodo, dilutam, ter quaterue per diem adhibere consultum est. Denique etiam crudum antimonium decoctis solet addi, puluerisatum & in petia ligatum; cuius fructum si simplex aqua ad decoquendum adhibeatur, non magnum video. Certiorem autem, & admirabilem certe notabilem scio, si ad quamuis libram aquae, pro decocto adhibendae; vnam vel duas vncias aquae calcis vineae adiiciamus, aut, si illa non adsit Salis Tartari modicum addamus.

§. XXIII.

In iis, quos prurigo diutius vexauit, & detinuit, fieri vix potest, quin sint languidi, debiles & cacochymi redditi. Nam cum corporis resectio per quietem nocturnam potissimum fiat; tales autem simulac in lecto incalescunt prurigine sua infestentur, & noctes fere irrequietas agant: cogitari facile potest, quantum cum tempore debilitari & affligi debeant. Iam cum sanguis relictissime thesaurus vitae, & vniuersalis medicina audiat,

D 2

aucto.

auctore, etiam post fata Illustr. B. FRID. HOFFMANNO
 Med. rat. system. Tom. I. pag. 81. sub tali autem statu,
 neque proba sanguificatio, nec eius depuratio fieri pos-
 sit, hominesque languidi, & febre lenta detenti sint:
 principalis quaedam indicatio hinc emergit: respicien-
 dum esse ad probam sanguificationem, viriumque per a-
 naleptica instaurationem. Id cum in omnibus necessa-
 rium sit, qui diu cum his adfectibus conflictati fuerunt,
 tum praecipue in senibus attendi debet, quorum colla-
 psas & euacuatas cellulas pinguedinosas, nisi quantum
 fieri potest, nouis probisque succis impleueris, vix quic-
 quam etiam efficacissimis medicinis obtinebis. Offerunt
 se hoc fine decocta illa, maioribus nostris commendatis-
 sima, vt caponum, vel gallorum aut gallinarum, per-
 fectam aetatem adeptarum (ineptum est, quod aliqui ani-
 malia decrepita postulant) iusculis radicum & herbarum
 aperientium, vel succis plantarum alterata. Ditiores,
 adhibent iuscula ex viperis cocta, vel solis, vel carnibus
 simul adiectis, & ad iustum modulum consummati, in di-
 plomate cocta. Pauperiores idem reportabunt, ex ius-
 culis gallinarum, aut columbarum.

§. XXIV.

Non possum, quin hoc loco referam casum nota-
 bilem commilitonis cuiusdam: is, cum per complures
 annos, itineribus per varias terras, adeoque variae diae-
 tae deditus, atque semel iterumque correptus fuisset mor-
 bis epidemiis, quibus medicinam satis patienter facere
 non licuerat, vt magis suppressi, quam percurati essent;
 cum in hanc Academiam veniret, autumnali tempore
 feбри

febri corripiebatur intermittente, a qua liberatus, scabie sicca, per noctem prurientissima corripiebatur. Sic hiemem transigebat, per aestatem sequentem utouneque vegetus. Redeunte autumno, febris redibat: post febre pruriginosa scabies. Aduersus hanc pugnabat, aethiope minerali, & infusis: quorum usu non satis levabatur. Incidebat potius in maiores languores, & lenta febris illum depascebatur. Nulla totis noctibus quies erat, pedes tumeabant. Hoc rerum suarum statu, confugiebat ad iuscula carniū cum viperis decocta, & vegetabilibus quibusdam alterata. A quo tempore haud obscurum erat, quantum curatione hac proficeretur. Nam, quae sparsim per cutem fuerant exanthemata minuscula prurientia, & fere sicca, defluebant instar furfurum: passim autem per artus coibant abscessus, furunculorum instar, qui suppurati, materiam laudabilem satis copiose fundebant. Atque his sanescentibus, simul febris ceterique languores ex spe & voto cessabant, ac valetudo integerrima succedebat.

§. XXV.

Adparet, ni fallor, quantum profint analeptica gelatinosa, tempestive adhibita, & patienter continuata; nescio an viperæ per se multum tali casu profint, & annon diaeta analeptica ac blandos succos efficiens, plurimum sibi vindicare debet. Sed & alii luculenti casus prostant pruritiū in senibus curatorum, per diaetam humectantem & analepticam. Sic curationem in fere sene XLVIII annorum inuenimus apud RIVERIUM *in obseruat.* communicatis, cui lactis asinini usus, per mensem inte-

grum, ad pristinam sanitatem recuperandam profuit, cum antea omni internorum & externorum praesidiorum usu, omnia fuissent exacerbata. Eiusdem generis obseruatio prostat in *A. N. C. Dec. I. an. 9. obs. VI.* sistitur ibi femina, tota vita sua abstemia; quae cum aetatis annum sextum, supra octogesimum absoluisset, immani pruritu corripiebatur, & exanthematibus, ad lepram prope accedentibus; a quibus solo lactis usu perfecte restituta fuit. Ex quo facile adparet, non esse, cur senes omnem spem recuperandae sanitatis, omnino abiiciant.

§. XXVI.

Externorum remediorum usum, ut inunctionum, balneorum, siue naturalium, siue artificialium, omnino cautissime adhibendum existimo, ne, loco fundamentalis ac securae curationis, noxia & periculi plenissima retro-pulsio, aut saltem incarceration materiae, quae in culpa est, consequatur. Illa saltem balnea, quibus sulphur vel inest, vel adiicitur; item, quaecunque adstringens principium efficacius fouent, vitanda esse existimo. Quin nec internum usum fontium mineralium, saltem ex consuetudine affatim ingurgitandorum, valde senibus commendauerim; cum duorum meminerim, qui sphacelosa membra, alter ex thermis Carolinis, alter ex usu fontis Egrani, retulerunt. Securior erit usus acidularum mitiorum, ut sunt selteranae, modica quantitate ad methodum SLARIANAM adhibitarum, & quod consilium multis dedit B. FR. HOFEMANNUS noster, cum lacte coniunctarum. Atque haec nunc de praesenti argumento sufficiant.

F I N I S.

VIRO

V L R O
PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

AMICO SVO AESTVMATISSIMO

PAVLO CONRADO TSCHOERTNERO,

S. P. D.

THEODORVS ERNESTVS GROHMANN,

MED. DOCT.

Sic studia, quae vocantur academica, ad optatum tandem deducis finem. Industriae, & indefessi hucusque laboris testimonium est tuum, quod exhibes, peregregium & elegantissimum specimen. Assiduus autem labor & ista nunquam interrupta industria promittit TIBI, immo adfirmat perpetuam perfectamque in posterum felicitatem. Eandem promittunt etiam egregia, quae solertissime haecenus collegisti, doctrinae salutaris praesidia. Promittunt quoque animi, quibus polles, vires, ac felicissimum, a benigna natura concessum ingenium, tam artis salutaris praeceptis factis superque instructum, quam purioris philosophiae doctrinis probe simul excultum. Tu enim AMICE AESTVMATISSIME non inanibus aut nimis subtilibus speculationibus operam vnquam dedi-

dedisti, sed ad res vtilissimas, & faciendae medic-
nae & elegantiori vitae adcommodatas omne otium
impendisti academicum. Hinc omnium rerum ve-
ras, sufficientes, ac profundiores cuique reddere
potes rationes; nec vnquam ad apophthegmaticas
probationes aut alia excepta & vndique collecta con-
quisitaque prouerbia facile confugies. Attamen
plura de hisce proferre desinam. Vnicum adhuc
est, quod dicendum restat: festines ad honores,
patriamque festines. Gratulor igitur de diligentiae
praemiis, quae proximo die reportabis, quum Do-
ctoris titulo ornatus e cathedra descendes. Ap-
plaudo honoribus & omnium, quae conaris atque
meditaris faustos fortunatosque adprecor succes-
sus. Valeas & mihi, ab hac celeberrima Musarum
sede abitum iamiam paranti, fauere pergas!

Halae Magdeburgicae die XXX. Aprilis

clcccxxxiii.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
PAVLO CONRADO TSCHOERTNER,

S. P. D.

D. IOANNES GODOFREDVS WENDELIN.

Non curatio solum corporum humanorum morbis correptorum Medici curam ac diligentiam exposcunt, sed & praeservatio a malo eminens adveniente ejus auxilium efflagitat. Sunt eae nostrorum temporum conditiones, ut in ordinandis remediis gulae ac idiosyncrasiae hominum, nimis quam fas est, indulgere cogamur. Mox delicatuli omnem abhorrent medicinam amaram, & non, nisi dulcibus gratique saporis medicamentis curari volunt; mox stomachus vel illam medicamenti formam externam perferre recusat. Nil dicam quomodo mulierum venustatis studium animum medici divexet, quae & formae deperditae & exaltatae succurri cupiunt, multaque lepida, & saepius inhonesta, quinimo turpia, ut plurimum nociva, in auxilium vocare jubent. O tempora,
E pora,

pora, o mores! Hic valet prudentia medica; hic ut plurimum non iniuste adplicatur sententia: mundus vult decipi, ergo decipiatur; maneat modo sanitas illæsa. Sed missa hæc faciam, & quod reliquum est spatii, iis repleam, quibus gratam meam mentem pro benevolentia TUA erga me amicitiaque adfectu declarem. Credas, quæso, magni me semper TUAM facere & eruditionem tot egregiis speciminibus munitam, & comtam morum TUORUM suavitatem. Gratulor TIBI, DOCTISSIME DOMINE CANDIDATE honores Doctores legitime consequendos, TUAque diligentia dignissimos; gratulor & patriæ TUÆ Civem optimum, medicum doctum atque felicem. Prospera quæque ex animo TIBI apprecor, quæ & optare & sperare mens humana potest. Benevolentia TUÆ me meique memoriam & in posterum habeas commendatum, TIBIque persuadeas, nullo unquam tempore amicitiam TUAM ex mente mea elapsuram.

Vale, mihi que favendo perge. Dab. in Acad.

Friderician. d. XXI. Maji A. R. S.

CLC LCCC XXXXIII.

Du siehst nun werther Freund, die angenehmsten
Stunden
Worin Dein kluger Witz den Kranz der Ehren
nimmt;

Hygæa hat ihn selbst mit größter Lust gewunden
Und Dir, dem würdigen Sohn, denselben längst bestimmt.
Belebte meinen Geist ein ächtes Dichter-Feuer
So solt ein würdig Lied zu Deinen Diensten stehn,
So sollte, nach der Kunst, auf recht gestimmter Leyer
Dein wohlverdientes Lob aus reinem Thone gehn.
Doch, da ich von Natur entfernt von allem Dichten,
Und zu der Poesie mehr als verdorben bin;
So muß der Wille nur, was sonst die That, verrichten;
Mein Herz setzt einen Wunsch, nach seiner Einfalt, hin.
Viel Glück, geehrter Freund, zur angenehmsten Bürde,
Die Deine Schläfe nun mit ächtem Glanze ziert!
Viel Glück, geehrter Freund, zur neuen Doctor-Würde,
Die Deinem Fleiß mit Recht zum wahren Lohn gebührt!
Wie manches Ehren-Preis grünt nicht noch Deinetwegen
Wenn sich Dein grosser Ruhm durch viele Länder zieht?
So muß sich auch der Tod zu Deinen Füßen legen,
Da er durch Deine Kunst sein Reich verwüsten sieht.
Geneuß der neuen Ehr! folg Deines Schicksaals Rufen.
Zueuch glücklich und gesund bey denen Deinen ein;
Gott laß Dein Glück und Wohl und Deine Ehren-Stufen
So wie Du es verdienst, dereinst vollkommen seyn.

J. H. Dencker, M. C.
Opponens.

MOLT' ILLUSTRE SIGNORE
P A D R O N E
COLENDISSIMO,

Ciascheduno confessa, che la fama tener dietro deva alla diligenza, e che la sagacità sia sempre premiata da molta fortuna. Adunque non potrebbe presentarmisi avanti gli occhi materia più degna di giubilo apportatrice, in vedendo che l'arte medica degnamente ne chiama VS. al Dottorato, dopo avere Ella dato fine gloriosamente al corso arduo de' suoi studii. La onde sopraffatto da tanta allegrezza, vengo nel tempo medesimo spronato à congratularmi con VS. nella sua promozione al Dottorato. Auvengniache questa cerimonia nul altro ci dimostra, che un virtuoso coronato e della virtù il premio. Conceda adunque il cielo à VS. tutti quei beni e grazie che desiderare puòle, mentre sempre mai non desistero d'implorare il medesimo, à voler grazziare i suoi voti. Resti adunque felice e mi conservi intatto quel nodo d'amicizia, che per sì lungo tempo contratto abbiamo, e per fine resto con abbracciarla caramente, protestandomi d'esser

D V S.

Hala gli 21. Maggio

1743.

*Amatissimo ed Affezionatissimo
Amico e Servo,*

T. T. F E L L E R,
Studiofo di Legge.

